DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

PERTRACTANS

HELMINTHIASIM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN

CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Cleophas Mann,

Moravus Rubroaquensis, Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Octobris 1838.

VINDOBONAE.

Typis Viduae Antonii Strauss.

Conceptus Morbi.

Helminthiasis a graeco ἡ ἕλμινς - *vermis* et θιάω fut. - άσω, *laboro* (vermitio, morbus verminosus, Wurmkrankheit, Wurmsucht, Wurmbeschwerden) ille status pathologicus organismi humani audit, qui vermium praesertim intestinalium generatione producitur et diversis in functionibus systematis vasorum et nervorum turbis sese manifestat.

Enumeratio et descriptio entozoorum.

Vermes corpus humanum incolentes ad mentem celeberrimi Rudolphi in *quinque* dividuntur *ordines*, quorum hic similiter ac specierum singularum ab helminthologo hocce sagacissimo depromta sequitur descriptio.

Ordo primus. Entozoa cystica vel vesiculosa — Blasenwürmer. — Vesica liquore diaphano repleta, unico pluribusve capitibus, osculis sugentibus instructis, capitis corona uncinata. — Duo hujus ordinis genera corpus humanum infestant:

a) Echinococus hominis — Menschenvielkopf, Hülsenwurm — Corpus minimum subglobosum, caput uncinulis coronatum. Animalcula haec non nisi oculo armato distinguenda fluido pellucido in vesicis (sic dictis *hydatidibus)* contento innatant. Excepto tubo alimentari omnes corporis humani partes echinococo inhabitantur.

b) Cysticercus — Blasenschwanz. — Corpore teretiusculo aut compresso in vesicam caudalem excurrente, capite retractili, osculis sugentibus quatuor et in medio rostello corona uncinata duplici instructo.

C. cellulosae — Finne. — Capite tetragono, collo brevissimo, corpore cylindrico, vesica caudali elliptica. In textu celluloso musculorum et cerebri hominis residet.

Ordo secundus. Entozoa cestoidea — Band- oder Nestelwürmer. — Corpore longo, depresso, molli. Ex ordine hoc duo genera organismum humanum incolunt:

a) Taenia — Kettenwurm. — Corpore longo, depresso, articulato, osculis capitis suctoriis quatuor.

T. Solium. Taenia cucurbitina — Kettenwurm, Kürbiswurm, langgliedrichter Bandwurm. — Capite hemisphaerico, discreto, rostello obtuso, collo antrorsum crassiori, articulis anterioribus brevissimis, insequentibus subquadratis, posterioribus oblongis, foraminibus marginalibus alternis. Vermis hic saepe ad longitudinem 40 ulnarum increscit, singulique articuli longitudinem pollicis et latitudinem antice vix ultra quartam vel tertiam lineae partem, postice trium sexve linearum adipiscuntur. Crassities etiam diversa, modo enim sat crassus invenitur, modo vero tam tenuis obvenit vermis ut diaphanus adpareat. Eminentiae papulosae marginales utriusque sexus organa recludunt, quibus animal hoc semet ipsum foecundat. Saepe fragmenta longitudinis plurium ulnarum sponte secedunt, ex capite vero remanente magnitudo pristina spatio trium quatuorve mensium iterum restituitur. — Incolas Germaniae, Angliae, Hollandiae et Orientis molestat intestina tenuia occupans.

b) Botriocephalus — Grubenkopf, Bandwurm — Corpore longo, articulato, plano, capite anguloso foveis sugentibus instructo.

B. latus, Taenia lata — der breite Bandwurm, oder der kurzgliedrichte Bandwurm. — Capite oblongo foveis sugentibus lateralibus elongatis, collo brevissimo, articulis anterioribus rugaeformibus, insequentibus longiusculis, latioribus; ultimis tandem membris foraminibus in medio locatis. Ostiola haec ad sexualia masculina et femi-

nea conducunt. Excrescit utplurimum ad viginti pedes in longum etiam 100 pedum est inventa, quid? si Boerhavius refert se expulsisse taeniam latam 300 ulnarum?!! Latitudo membrorum singulorum longitudinem eorum superat. In Gallia, Helvetia, Russia, Polonia frequentissime obvenit.

Ordo tertius. Entozoa trematoda — Saugwürmer. — Forma corporis sub motu diversa; quiescente corpore depresso, ovali, lineari vel teretiusculo, molli, poris suctoriis. Hujus ordinis genera duo in homine obveniunt:

a) Polystoma — Vielloch. — Corpore plano vel teretiusculo poris anticis sex, centrali et postico solitariis.

P. pinguicola — Fettblattwurm, Vielloch. — Corpore depresso oblongo, antice obtuso, postice acuminato. Vermis hic semel in ovario sinistro feminae post partum difficilem defunctae inventus est.

P. sanguineum — Venenblattwurm. — Corpore teretiusculo, poris suctoriis anticis sex, posticis dispersis. — — Treutler hunc vermem ex rupta vena crurali inferiori extractum Hexathrydium venarum appellat.

b) Distoma — Doppelloch. — Corpore molli depresso aut teretiusculo poro antico et centrali.

D. hepaticum — Leberegel, Schafegel, Egelschnecke. — Corpore obovato, collo cylindrico, poro ventrali majore. Animalculum ad pollicis longitudinem increscens in cystide fellea et ductubus biliferis aliquoties inventum.

Ordo quartus. Entozoa acantocephala — Kratzer — Hujus ordinis nulla hucusque genera in homine reperta sunt.

Ordo quintus. Entozoa nematoidea — Rundwürmer, Fadenwürmer. — Corpore vel cylindrico aut antice aut postice crassiori, capite rotundo aut obtuso, nonnunquam membranis alaeformibus lateralibus, cauda acuminata aut obtusa, subulata. — Ordinis hujus genera quinque homines molestant:

a) Filaria — Fadenwurm. — Corpore longo, aequali,

filiformi, ore orbiculari minimo. Ex apice caudae prominens genitale maris spiraliter involutum.

F. medinensis, dracunculus — Medinawurm. — Corpus plures pedes longum, crassitie fili, antice extenuatum, postice in mare reflexum. — In tela cellulosa extremitatum inferiorum residens in regionibus tropicis endemice saepius etiam epidemice grassatur, clima nostrum non adamans.

b) Trichocephalus — Haarkopf — Corpus elasticum, teres, pars antica, capillaris longissima mox in posticam crassiorem transiens. Apertura oris minima. Genitale masculum spirale e caudae tubulo prominens.

T. dispar — Peitschenwurm. — Parte capillari longissima, capite acuminato, corpore maris spiraliter involuto, feminae suberecto. — In intestino coeco nidulat.

c) Hamularia — Fühlwurm. — Corpus elasticum, subaequale teres. Caput tentaculis duobus vel lateralibus vel terminalibus tubulosis.

H. subcompressa. — Corpus antice attenuatum ad pollicem longum. — In cadavere viri emaciati 28 annorum vivens in glandulis bronchialibus a Treutlero inventus vermis.

d) Strongylus — Pallisadenwurm. — Corpus teres elasticum utrinque attenuatum, oris apertura orbicularis vel angulosa, ex cauda maris vesicali genitale prominulum.

S. gigas. — Capite obtuso, ore papillis planis sex cincto, bursa maris integra truncata, cauda feminae obtusa. — Renes humanas incolit.

e) Ascaris — Spulwurm. — Corpore cylindrico, elastico, utrinque attenuato, antice aut postice crassiore, capite trivalvo.

A. vermicularis seu oxyuris vermicularis medicorum — Mastdarmwurm, Springwurm, Madenwurm. — Capitis obtusi membrana laterali utrinque vesiculari, corpore antice crassiore, cauda maris involuta, feminae recta;

subulata. — Vermes hi longitudinis dimidii pollicis in intestino recto praeprimis infantum nidulantes cum foecibus ingenti saepe copia evacuati ob motum saltatorium nomen Sprungwürmer sortiti sunt.

A. lumbricoides — Rundwurm, eigentlicher Spulwurm. — Capite nudo, corpore utrinque attenuato, sulcato, cauda obtusa. Longitudinem pedis saepe attingit. Animalculum hoc residens in intestino tenui non raro usque ad ventriculum proserpit, ubi nauseam excitans vomitu saepe ejicitur.

Symptomatologia.

Phaenomena: topica (constantia). — Dolor in abdomine in umbilici regione ordiens, varius mox pressivus aut constringens, mox colicus, periodicus, mane et praecipue ventriculo jejuno invadens post pastum remittens. Ingestorum qualitas influxum magnum in dolorem exerit, rebus enim quibusdam assumtis mitigatur ut: lacte, saccharo, dum aliis exasperatur, quod fit in genere salsis et acribus ut: halicibus, pernis, caseo et anthelminthicis omnibus. Inflatio abdominis sub adtactu indolorifici. Sapor limosus, halitus oris mucoso-dulcescens, mox anorexia, mox fames immodica praecipue noctu accedens cibos solidos et farinosos exposcens, sitis mane urgens. Alienatio functionis canalis alimentaris, alvus enim mox obstipa, mox diarrhoica cum vermium secessu conjuncta est. Vermibus in intestino crasso et recto residentibus, titillatio ad anum continua, non raro ad tenesmum increscens nonnunquam et blennorhoea recti nidulantibus vero in ventriculo et duodeno praeter dolorem rodentem, prementem in regione ventriculi etiam ructus, vomitus et vermium sursum evacuatio. — His accedunt, quae transitum ad alterum symptomatum ordinem efficiunt, pulsus inaequalis intermittens, urinae

per vices jumentosae, sudores periodici viscidi et morbo protracto phaenomena nutritionis perversae aegri enim pallidi, cachectici, extremitates emaciatas, faciem tumidam cum annulis circa oculos coeruleis offerunt.

Phaenomena consensualia (inconstantia). — Series symptomatum nervosorum: Animus dejectus, morositas, dolor frontalis pressivus, occupatio capitis, vertigo ad soporem et coma non raro increscens. Somnus inquietus, non raro imo psychae turbae. Halucinationes sensuum (cum charactere depressionis virium), bulbi distorsiones, pupillae dilatatio, photopsia, myrmecopsia, diplopia, amblyopia imo amaurosis transitoria (helminthiaca) spasmi palpebrarum; auditus difficilis, cophosis, vitia olfactus, narium titillatio hinc frequens nisus ad fricandos nares.

Series symptomatum organorum loquelae. — Alienatio vocis non raro impotentia singulas litteras v. g. R pronunciandi imo alalia, aphonia.

Series symptomatum adparatus motorii: Motus convulsivi in diversis musculis, praecipue faciei, extremitatum superiorum pectoris et nonnunquam totius corporis, epilepsia, chorea St. Viti imo musculi involuntarii prae caeteris cor participant, quod tunc cardiopalma corripitur.

Series systematum systematis uropoëtici et genitalium: Stranguria, ischuria et in maribus penis erectiones, in sexu sequiori pruritus et blennorrhoea vaginae.

Semper vero unicum symptoma diagnosticum certum est secessus vermium ipsorum. Enumerata morbi phaenomena sequentibus obediunt legibus: Organon in evolutione versans prae caeteris corripitur modo consensuali, ut in infantibus cerebrum, organa sensuum et musculi nervis ex spina dorsi excurrentibus subjecti; in adultioribus cor pectus et organa loquelae, sub pubertatis tempore genitalia prae reliquis compatiantur. Symptomata ut topica tam consensualia fluxum et refluxum a lunae

phasibus dependentem monstrant, decrescente enim luna magna saepe vermium copia sponte secedit, crescente vero vel plenilunio id nunquam contingit. Systema vasorum quoque non raro solicitatur, quae vasorum irritatio intensitatis respectu in oppositione cum nervorum reactione versatur, ita ut praevalente hac deficere videatur altera et vice versa quod autem mox systema vasorum mox nervorum adficitur a sede helminthum dependere videtur. Ita nidulantibus in intestinis inferioribus nervorum, residentibus vero in duodeno aut ventriculo vermibus vasorum excitetur reactio, cujus rationis symbolam etiam aetas, sexus, temperamentum constituit. Irritatio vasorum diversa adparet, mox magis transitoria sub forma febris ephemerae (febris verminosae) mox magis constans animadvertitur.

Enucleatio symptomatum singularium cuilibet helminthum speciei propriorum, ex quibus ad certae cujusdam speciei praesentiam concludere fas est, labor medicorum successu felicissimo nedum coronatus. Sequentia tamen constant:

Trichocephali in cadaveribus frequenter obvii nullis se produnt symptomatibus. *Oxyures vermiculares* pruritum ad anum excitant, vesperi praesertim sub lecti tepore exasperandum, tenesmum, fluxus tum muci tum sanguinis ex ano et in puellis si ad vaginam proserpunt, pruritum intolerabilem, blennorhoeam largam, phlogosim ideoque non raro ad masturbationem ducunt, in adultioribus pruritum vehementem et salacitatem — *teniae* frequentes puncturas subitaneas quasi acu illatas aut morsus in ventriculi regione, sensum ponderis quemadmodum a corpore in abdomine locum mutante ibidemque ac ad dorsum frigus causante; motus unduosus circa umbilicum peculiares ab assumtis acidis, amaris etc. augendos et aliquamdiu in anxietatem, spasmos, lypothomias transeuntes, in feminis saepius incommoda graviditatem men-

tientia, attamen taeniarum praesentia secessu singulorum membrorum brevi solet certa reddi.

Symptomata recensita sola diagnosim non omni eripiunt dubio, nam et a morbis aliis plura eorum singulatim spectata producuntur. Confundi potest helminthiasis *cum hydrocephalo acuto, intumescentia glandularum meseraicarum scrophulosa et febri hectica.* Cum hydrocephalo tunc praecipue, si symptomata nervosa praesto sunt (sopor, pupillae dilatatio, convulsiones, vomitus). In helminthiasi venter tumidus sed mollis, in hydrocephalo retractus planus, alvus in morbo priore diarrhoica, in posteriore obstipa, nec non symptomata in hydrocephalo certo quodam ordine sese excipientia, in helminthiasi sine ullo ordine adparentia diagnosim facilitant. In scrophulis glandularum meseraicarum, habitus scrophulosus, intumescentia glandularum externarum, inflatio abdominis duri et dolores sub adtactu diagnosim dubio erripiunt. A febri hectica distingitur defectu colliquationis topicae et universalis.

Aetiologia.

Momenta in helminthiasim *disponentia* in aetate infantili et puerili, debilitate, laxitate universali, praecipue diathesi scrophulosa et rachitica, polyblennia et speciatim ventriculi et intestinorum debilitate et laxitate digestione languida imperfecta vitiosa muci ac pituitae in primis viis abundantia inveniuntur. Ad *causas excitantes* spectant: esus protractus rerum digestu difficilium, tenacium mucilaginosarum aut polychymiae et polyblenniae faventium, in specie ciborum pinguium farinosorum et lacticinorum, vitae genus sedentarium, animi pathemata deprimentia, habitacula humida, obscura, frigida, tempestas diutius perstans nebulosa humida pluviosa et frigida etc. Hinc non mirandum, quod in regionibus no-

nullis palludosis e. g. apud Hollandos helminthiasis non raro endemice imo epidemice grassetur.

De genesi entozoorum varia prostant hypotheses. Nonnulli quippe putant inferri ovula aliorum vermium similiumque animalculorum cum cibis et potulentis in organismum animalem, in quo per metamorphosim aliquam in vermes intestinales permutantur. Talius autem, entis cujusdam in aliud transmutationis nullum sub coelo exemplum reperitur. — Alii naturae scrutatores opinantur, vivere vermes intestinales etiam in aliis locis extra organismum animalem uti in fontibus, paludibus etc. transferrique eorum ovula cum cibis vel potulentis aut aëre in animalia, ubi in perfecta entozoa evolvuntur. Huic opinioni renititur, quod entozoa nonnisi in visceribus animalium vitam suam sustinere valeant et loco suo natali expulsa illico pereant. Ut porro nesciamus, quomodo haec vermium ova per duplex systema vasorum ad foetus, utero materno inclusi, viscera tansferri possint? Quum igitur omnem vermem ex verme nata difficulter comprobetur, inter recentiores naturae scrutatores constat, entozoa ex generatione aequivoca seu spontanea, aut uti Bremser nominari hanc mavult ex generatione primaria (Urzeugung) oriri et mediante genitura propagari. Complures igitur helminthologorum, vermes in corpore animali nidulantes ex ejusdem humoribus depravatis aut certa ratione alienatis, Professor eques a Scherer vero ex tela cellulosa isolita procreari opinantur.

Terminationes.

1. In sanitatem plenariam, vermibus ejectis, statuque membranae mucosae tubi alimentaris morboso entozoa parturiente amoto.

2. In sanitatem incompletam, statu blennorrhoico remanente aut symptomate aliquo consensuali perdurante.

3. In alios morbos et quidem: *a)* in inflammationem membranae muciparae canalis alimentaris chronicam, quae non raro cum intestinorum perforatione, vermium morsui saepius adscripta desinit, ut tamen opinio de perforatione per vermes vana sit, quum constet, illos necessariis ad id efficiendum organis penitus carere. Haec potius est sequela inflammationis chronicae, quae ad ulcerationem ducit. Frequentissime in regione umbilicali et inquinali dextra visa est. Non raro vermes per ductum choledochum in vesicam felleam ascendunt, ubi deinde inflammationem, febrim biliosam et hepatitidem excitare valent. Ascarides ex intestino recto in vaginam transmigrantes titillationem vehementem imo nymphomaniam producunt.

4. In febrim pituitosam, praeceteris in infantibus.

5. In neurosim substantivam v. g. epilepsiam gangliosam.

6. Tandem in mortem, non primarie quidem, sed transitu in alios morbos, praecipue in febrim mucosam, exulcerationem intestinorum et hepatis.

Prognosis.

Praesagium ex hucusque dictis fluit, ceterum dependet:

1. A vermium specie; facillime ascarides, difficillime teniae expelluntur.

2. Ab animalculorum copia et inducto cachexiae gradu.

3. A sede helminthum. Faustior est prognosis si animalcula in intestino crasso, si vero in intestino tenui, ventriculo ductubus biliferis vel hepate resident infaustior.

4. Ab aetate aegri, aetate virili melior, quam in infantia vel senectute est.

5. Denique a gradu irritabilitatis aegri, copia, constantia et natura symptomatum consensualium.

Therapia.

Objectum therapiae helminthiaseos in eo consistit, causae excitantes ut amoveantur; vermes quamprimum evehantur; ipsa etiam universalis aeque ac tractus primarum viarum corrigatur dispositio et effectus partim a vermibus, partim a necessario in eosdem tractamine relicti extinguantur. — Primae therapiae parti respondet congruum regimen diaeteticum, de quo infra, quum de corrigenda dispositione loquemur, plura disserturi sumus. — Ad absolvendam alteram therapiae paginam, ab invitis quippe hisce hospitibus intestina cito modo liberandi, a longinquis jam ingens remediorum sic dictorum anthelminthicorum copia innotuit, ut itaque necesse sit ea in duos dividere classes, quarum prima anthelminthica proprie sic dicta seu specifica, quae vermibus peculiari modo sunt infensa, altera vero ea remedia continet, quae fibras musculares intestinorum ad oscillationes vegetiores incitant et concitato alacriori motu peristaltico, vermes intestinales expellunt, seu anthelminthica drastica.

I. Anthelminthica proprie sic dicta seu specifica.

Haec in triplicem discedunt ordinem, quorum primus ea continet remedia, quae mechanico modo, alter, quae principio proprio acri et tertius, quae oleo aethereo contento vermibus intestinalibus sunt inimica.

1. Anthelminthica mechanico modo entozois infensa.

His adnumerantur: *a) Stannum limatum et granulatum*, contra lumbricoides praesertim vero contra taeniam laudatum. *b) Ferrum limatum. c) Mercurius vivus* hujusque decoctum, remedium omnino periculosum. *d) Pul-*

vis carbonis ligni. e) Stizolobium, setae siliquae hirsutae (Dolichos pruriens) Juckfaseln, Kuhkrätze contra lumbricoides commendatum.

2. Anthelminthica principio acri instructa.

Hujus ordinis remedia ex una parte principio contento acri entozoa enecant, ex altera parte eadem acredine organa assimilationis inferioris potenter solicitant. Huc referendi: *a) Bulbus Allii sativi* (Knoblauch) contra ascarides et taeniam. Interne vel in frustulas dissectus, deglutiendus, vel infusum ex lactis lb. j et Allii sativi ℥β. Externe contra ascarides infusum qua clysma adhibetur. *b) Bulbus Allii Cepae* (Zwiebel) eadem ratione usitatus. *c) Putamen nucis Juglandis* (Wallnußschalen). Contra lumbricoides porrigitur extractum sub forma mixturae ʒβ-j ter de die vel Roob eiectuariis anthelminthicis ad ℥β additur. *d) Herba et radix Spigeliae anthelmiae* (wurmtreibende Spigelie) gr. x -℈j adultis, pueris ad gr. v bis de die praescribitur, vel infusum ex ʒj-jj ad colaturam ℥ vj paratur. *e) Semina Sabadillae* (Sabadillsamen) etiam pediculos enecat. Pulvis cum melle aut syrupo in boli aut electuarii forma adhibetur adultis gr. v-℈j, pueris gr. jj de die. Externe infusum ex ʒ jj ad colaturam ℥ jv qua clysma contra ascarides. *f) Cortex Geoffroeae surinamensis et jamaicensis* (surinamische und jamaikische Kohlbaumrinde). Ascaridibus et lumbricoidibus opponitur gr. x-℈j adultis, pueris gr. vj-x aut sub forma electuarii cum melle. Etiam decoctum ex ʒ jjj paratum aut extractum gr. vjjj-x in usu est. Externe decoctum sub clysmatis forma contra ascarides laudatur. *g) Radix Filicis maris* (Farrenkraut). Contra taeniam sub forma pulveris ad ʒ jj jejuno ventriculo assumitur. Praeterlapsis duabus aut tribus horis purgans quoddam drasticum eousque subministratur, donec fuerit alvus mota. *h) Helmintochorton* contra lumbricoides porrigitur forma pulve-

ris, electuarii et boli gr. x - ʒß bis- ter de die. Paratur quoque infusum et decoctum ex ʒ jj.

3. Anthelminthica oleo aethero efficacia.

Remedia hujus ordinis oleo, quod continent aethereo helminthibus peculiari modo inimica sunt.

a) Flores Artemisiae Contra, Semina Santonici seu Cinnae lumbricoidibus prae ceteris infensae. Exhibentur flosculi integri electuario admixti aut in pulverem triti adultis ad ʒ jj, infantibus gr. x - ℈j. Infusum ex ʒ jj paratum clysmati inservit. *b) Radix Valerianae silvestris* praeprimis lumbricoidibus imo teniae contraria deprehenditur. Qua anthelminthicum praescribitur pulveris ℈j - ʒj in combinatione cum aliis hujus ordinis remediis. Infusum minus efficax externe tantum qua clysma usitatum. *e) Herba, flores et semina Tanaceti.* Dantur herba et flores ad ʒjj in infuso, semina electuario abscondita ad ʒj. Fiunt quoque ex herba cataplasmata abdomini imponenda uti et pristina pharmacopoea Austriaca unguentum contra vermes praescribit ex unguenti Juniperi lb j, Cerae citrinae, Aloes, olei dest. Tanaceti āā ℥j Felis tauri inspissati ℥jjj compositum. *d) Gummi asae foetidae* contra lumbricoides et taeniam usitatum in pilularum forma ad gr. v - x praescribitur. Externe ope vitelli ovi suspensum in infuso Valerianae aut Tanaceti qua clysma exhibetur. *e) Oleum Therebinthinae* a medicis Angliae taeniae dosi sat generosa ad ℥ß - jj jejuno ventriculo opponitur. *f) Oleum animale aethereum et foetidum* contra taeniam et lumbricoides gutt. v - x ter de die jusculo carnis exceptum porrigitur. *g) Ol. empyreumaticum Chaberti.* Laudatur contra omnes fere vermium species ad duo cochlearia coffeanea ter de die assumtum. *h) Oleum petroleum* ad gutt. CL de die exhibetur. *i) Camphora* contra lumbricoides et taeniam laudatur. Moscati Camphorae ʒß cum mucilag. gg. arab. ʒj sub-

actam et in aquae lbj solutam dosi refracta offert. Etiam externe clysmatibus anthelminthicis addita adhibetur.

II. Anthelminthica drastica.

Remedia haec evacuationem vermium pro parte adjuvant, pro parte autem actione tam in illos, quam in ventriculum et tractum intestinalem fortissima efficiunt. Huc referuntur:

a) Oleum Ricini. Sunt, qui singularem illi vim contra taeniam adscribunt. Praescribitur ad ʒjj - ℥j saepius de die. — Simili ratione etiam cetera olea pinguia agere videntur. *b) Sales* ut: Soda muriatica, Soda sulfurica, Kali sulfuricum, Magnesia sulfurica, Ammonia muriatica, Murias Hydrargyri, quae mucum intestinalem inscindunt, intestina leniter stimulant se- et excretionem in tubo alimentari promovent. *c) Rheum* aliis additum anthelminthicis in dosi refracta. *d) Folia Sennae* in pulvere ʒß - j vel infusum ex ʒjj paratum. *e) Aloë* sub forma pillularum gr. j - v ter de die. *f) Radix Jalappae* in pulvere gr. v - x adultis ad ʒß offertur. *g) Herba Gratiolae officinalis* in pulverem trita adultis ℈j - ʒß vel infusum ex ʒj - jj paratum. *h) Helleborus niger* in pulvere ad gr. x bis de die vel in infuso ex ʒj - jj parato ad colaturam unciarum IV de quo bis terve de die cochlear cibarium assumitur. *i) Gummi Guttae* remedium efficacissimum contra taeniam porrigitur sub forma pulveris vel emulsionis spuriae ad gr. jj - v de die. — Remedia nunc enumerata consuetim in combinatione cum anthelminthicis specificis porriguntur. Ceterum therapia diversa est pro varia entozoorum specie.

Ascarides vermiculares consuetim innumeri adhibitis anthelminthicis sat facile quidem ingenti copia secedunt, uberiorem autem ob regenerationem difficulter exstirpantur. Exposcunt sibi remediorum per anum adplicationem. Quadrant ad illos expellendos praeprimis enemata

ex oleo quodam pingui, ex aqua frigida cum melle vel sale, ex decocto Allii vel Cepae cum lacte, aut ex infusis Valerianae, seminum Santonici, Tanaceti, Absinthii cum oleo cornu cervi vel addita asa foetida cum vitello ovi subacta — subpositoria ex lardo, ex sapone aut aloë cum melle confecta — vapores lactis ferventis ad anum admissi et si injectiones solae non sufficerent, alia anthelminthica tum specifica tum purgantia simul interne propinentur.

Ascarides lumbricoides omnibus fere supra enumeratis anthelminthicis debellantur in combinatione utplurimum porrectis, quarum compositionum praecipuae sunt:

1. *Pulvis anthelminthicus Andryi.* Rp. Sem. Santon. gr. xv rad. Rhei gr. xII Aloës gr. vI Calomelanos, Ipecacuanhae gr. j. M. f. p. div. in dos. aequal. tres. Mane pulvis unus sumendus.

2. *Electuarium anthelminthicum Bremseri.* Rp. Pulv. sem. Santon. ℥β pulv. rad. Valerianae ʒjj pulv. rad. Jalapae ℈jj Arcan. dupl. ʒjj Oxymel. Scilit. q. s. ut f. electuar. Mane et vesperi cochlear coffeanum.

3. *Electuarium anthelminthicum Sellii.* Rp. Pulv. sem. Santon. ℥j. Ferri sulfur. gr. xv Mel. desp. q. s. ut f. electuarium, de quo ter de die cochlear parvum aegro exhibetur.

4. *Electuarium anthelminthicum Störkii.* Rp. Pulv. sem. Santon. pulv. rad. Jalappae, pulv. rad. Valerian., Arcan. dupl. āā partes aequales, Oxymel. Scilit. q. s. ut f. elect. D. S. bis, terve de die cochlear coffeanum.

Teniae difficillime expelluntur, quod ut fiat, remedia taeniosa certo ordine administrentur necesse est. Variae igitur eadem administrandi innotuerunt methodi. En praecipuas:

a) Methodus Mathieui pharmaceutae Berolinensis consistit in adplicandis duobus electuariis, quae post victum hebdomadis levem cum salsis et oleraceis permix-

tum sequenti modo adhibetur: Electuarii ex uncia limaturae stanni anglici, drachmis sex radicis filicis maris recentis pulverisati, uncia semis seminum Cinnae, radicis Jalappae et sulfatis Lixivae āā drachma et s. q. mellis despumati compositi, capitur omni bihorio cochlear coffeanum unum, donec motus vermis persentitur. Tum vero electuarium drasticum ex pulv. rad. Jalappae et sulfatis Lixivae āā scrp. duobus, Scamonei scrp. uno, Gummi Guttae granis decem et mellis s. q. compositum eodem modo eademque dosi offertur, donec vermis secedat. Hoc vero consumtum post electuarium non exeunte olei ricini recentis cochlearia aliquot propinantur.

b) Methodus Nufferiana per diem integram diaetam strenuam observare jubet et hora vespertina septima jusculum ex aquae communis libra et semis, butyri recentis, unciis tribus et panis albi unciis duabus paratum aegro concedit. Si aeger hacce die absque alvo fuerit, adplicatur clysma ex decocto foliorum Malvae et herbae Althaeae cum olei Olivarum unciis duabus et pauxillo salis culinaris paratum. Altera die summo mane haurit aeger pulveris rad. Filicis mar. drachmas duas vel tres in aqua communi aut Tiliae. Per vomitum rejecta dosi repetitur altera. Bihorio elapso porrigitur bolus ex Calomelanos et resinae Scamonei āā granis decem, Gummi Guttae gr. sex et conserva rosarum confectus. Si vermis adhibito bolo non secedit, quatuor post horas aeger salis amari Sedlitzensis unciam dimidiam in poculo aquae fervidae solutam sumat.

c) Methodus Wawruchiana. Auctor curam decrescente luna instituit, quo tempore aegrum per triduum jejunium observare jubet, ter de die juscula carnium mera concedens. Aegro sequens medicamen porrigitur. Rp. Rad. Tarax. rad. Cichor. āā ℥j consc. coq. c. s. q. aq. f. p. $\frac{1}{2}$ h. col. fort. expr. ℥vi adde Sal. Amon. dep. gr. x Syrup. Rubi Idaei ℥ß M. D. S. Omni 2 hor. cochl. cibar. unum.

— Vesperi omni die sequens adplicatur enema. Rp. Lactis vaccini tepidi ℥vı Olei Olivarum cochl. cib. duo. — Tertia die ad vesperas panatella aegro exhibetur et clysmata lactea continuantur, quorum vero numerus ad tria augetur, horae intervallum inter singulum interposito, si alvus a primo non moveretur. — Quarta curae die hora 5ta mane aegro panatella pinguis altera vice porrigitur simulque enema lacteum adplicatur, quod hora 6ta nec non 7ma repetitur. Eadem hora propinantur sequentes pulveres: Rp. Pulv. rad. Filicis mar. ʒjjj div. in dos. aequales tres. S. omni hora pulvis. Post dimidiam cujusvis pulveris consumti horam capiat aeger duo cochlearia parva de oleo Ricini. Consumtis pulveribus his praeterlapsis duabus horis ordinantur sequentes pulveres drastici. Rp. Pulv. Gummi Guttae, Calomelanos, Sacchar. alb. āā gr. v. M. f. p. dent. tal. dos. tres. S. Omni bihorio pulvis. — Alvum supra matulam lacte tepido ad duas tertias partes repletam deponere jubet auctor.

d) Methodus Herrenschwandii. Per duos dies jejuno ventriculo dantur pulv. rad. Filicis mar. ʒj - jj, tertio vero die praescribitur pulvis in quem Gummi Guttae gr. xıı carbonatis Lixivae ʒβ et saponis Störkii gr. jj. congrediuntur. Vomitu et alvo utplurimum bis terve peractis et interpolato trihorio in vasculo coffeano jusculi carnis uncia olei Ricini hauritur et vespera denique, hoste nondum abacto clysma ordinatur ex aqua lacte et ejusdem olei unciis tribus.

e) Methodus Bremseri. Auctor hic peregit curam cum electuario, oleo Chaberti et purgante quodam leniore. In electuarium congrediebantur semina Sabadillae, pulv. rad. Valerianae, Jalappae, tart. vitriol. et oxymel Scillae. Olei vero cochlearia coffeana duo omni die in pauxillo aquae hauriuntur, donec quatuor, quinque imo sex

vel septem unciae essent consumtae. Stranguriae forsan intranti occurrit emulsum amygdalinum.

f) Methodus quam Gölis promulgavit, egregiam adepta est famam. Ad vesperas panatella admodum incocta et cum butyro parata comeditur; serius quidquam ano injicitur decoctum Althaeae cum pauxillo salis culinaris et unciis duabus olei Olivarum. Mane capit aeger in lecto drachmam rad. Filicis mar. cum haustu infusi florum Tiliae vel rad. Ireos florentinae. Bihorio elapso omni dimidio horae cochlear cibarium olei Ricini et vasculum coffeanum infusi florum Tiliae. Quamprimum autem ingeritur oleum illico obambulet in cubili, verme vero secesso bibat unciam alteramve aquae dest. Menthae pip. vel florum Aurantiorum et insuper jusculum carnis concentratum. Nunc autem petat lectum.

g) Breton optimo cum effectu corticem radicis punicae granati taeniae opponit. Unciae duae corticis coquuntur in aquae libris tribus ad residuum librae unius et semis, de quo mane omni $\frac{1}{4}$ hora pars quarta propinatur.

Ultimae tandem therapiae parti ut satisfiat, expulsis nunc vermibus cachexiam, dispositionem universalem in helminthiasim, specialius systematis gastrici polyblenniam tollere oportet, omnesque delere effectus tum a morbo tum a therapia residuos. Hinc torpens canalis alimentaris sensilitas et motus peristalticus tardus resuscitentur, vasa resorbentia ad uberiorem incitentur resorptionem mucique spissi glutinosi in primis viis accumulatio praepediatur. Huic scopo respondet prae reliquis congruum regimen diaeteticum. Abstineat igitur aeger ab nutrimentis digestu difficilibus, quae statum pituitosum augere valent, uti essent cibi farinacei, tubera solani tuberosi, legumina matura, carnes pingues, pisces etc. Eligantur jura carnium, olera teneriora aromate levi condita, carnes tenerae et pro potu cerevisia amara, vinum generosum

ad pauca cochlearia cibaria. Reliqua ad regimen diaeteticum spectantia, uti aër purus, siccus, motus, somnus moderatus, suam aeque, ad salutem recuperandam symbolam contribuunt. — Medicamenta, quae virium digerentium rubor intestinorumque tonum optime restituunt, sunt amaricantia et aromatica, uti Taraxacum, Fumaria, Cichoreum, Trifolium fibrinum, Absinthium, Gentiana, Marrubium album, Centaureum minus, Fel tauri inspissatum, radix Rhei, Aloës, cortex Aurantiorum, Calamus aromaticus et similia.

Theses defendendae.

I.

Quivis morbus in principio localis.

II.

Actio narcoticorum stimulans semper negativa.

III.

In fastigio cachexiarum una ab altera distingui nequit.

IV.

Non omnis virium debilitas stimulantibus est tractanda.

V.

Non dantur phlogoses putridae.

VI.

Sine anatomia medicina nulla.

VII.

Somnambulismus humilior est vitae forma.

VIII.

Vox populi in medicis dijudicandis nil valet.

IX.

Non datur surrogatum in pharmacologia.

X.

Inter amauroses maximam salutis spem illa praebet, quae ex abnormitate systematis vasorum est orta.

XI.

Natura sanat, medicus curat et hac ratione fit ut nonnunquam male curati sanentur.

XII.

In methodo sic dicta roborante minimum praestant remedia roborantia.

XIII.

In therapia vermibus opponenda et origo eorum et mala iis vere debita princeps momentum sistunt.

XIV.

Morbi vere debiti entozois homini familiaribus in spasmis et convulsionibus solum consistunt.

XV.

Quo simplicior formula eo firmior diagnosis.

XVI.

Haemorrhagia nil nisi symptoma morbi.